

vertant, vel alia quacumque ratione, donatorum voluntatem frustrentur et fraudent, vel quæ fidei et curæ episcoporum commissa sunt, ex eorum manibus eripere, etiam legis præsidio, conentur, eos pœnis a Tridentinis Patribus irrogatis rerum Ecclesiæ usurpatoribus (*Sess. XXII, Cap. 11, de Ref.*) ipso facto subjacere decernimus, et declaramus.

XVII. Monemus sacerdotes qui ecclesias administrant, quarum titulus episcopis traditus est, ne aedituos in iis absque episcoporum auctoritate constituant, vel eligi a fidelibus permittant, ne liberæ earum administrationi impedimentum aliquod nascatur.

XVIII. Statuunt Patres ritus sacros pro benedictione SS. Sacramenti, in Cæremoniali et Manuali jam præscriptos, ab omnibus in hisce Fœderatis Provinciis stricte esse observandos.

XIX. Quum sapientissimo consilio per leges ac statuta harum Rerumpublicarum cautum sit, ne potestas secularis ullum usurpet jus sese in rebus sacris immiscendi, meminerint episcopi, quo maxime possunt studio, apud Auctoritatem civilem laborandum, prudenter tamen, prout Dominus suggesterit, ne unquam catholici, qui vel militiæ vel classi adscripti sunt, cultui acatholicorum contra suam conscientiam adesse cogantur.

XX. Hortantur Patres ut ubique per hasce Provincias pia ad propagandam fidem Societas extendatur ac promoveatur, quæ in Galliis cum tanto religionis profectu existit.

XXI. Commendamus fidelibus ut Societatem ineant, preces fundendi causa, ad acatholicorum omnium qui nobiscum versantur patriæ necessitudine conjuncti conversionem, ut erroribus omnibus rejectis, uno ore glorificent Dœum, in fidei unitatem concurrentes. Porro supplicandum Summo Pontifici duximus, ut indulgentiarum concessione foveat hoc pium studium, eas omnibus tribuens qui eum in finem preces fundunt.

XXII. Visum est Patribus a S. Sede humiliter petendum, ut pro harum Provinciarum necessitudinibus facultates extraordinarias circa matrimonia, etiam delegandas si opus sit, concedere dignetur,

XXIII. Quoniam gravissimæ rationes a Patribus Concilii primi Baltimoresis Provincialis, A. S. 1829 allatæ, dum a SSmo Patre peterent ut pro baptizandis adultis ea in hisce Provinciis uti liceret forma quæ in Rituali Romano pro baptismate parvolorum invenitur, adhuc vigent, immo in dies graviores evasuræ videntur; statuunt Patres S. Sedi supplicandum esse, ut privilegium tunc ad viginti annos juxta Patrum preces concessum, nunc perpetuum fiat, vel saltem ad viginti annos iterum concedatur.

XXIV. Decretum sextum Concilii Baltimoresis Provincialis VII intelligendum declaramus de iis qui temere conjunguntur coram præcone acatholico, contra leges ecclesiasticas quæ vétant communionem in divinis cum hæreticis, et usurpati munera sacri agnitionem. Nolumus sacerdotes suam operam præstare iis quos noverint ministellum adituros, fœderis matrimonialis iterandi causa, vel qui fœdere

sic inito, absque poenitentiæ indiciis benedictionem sacerdotalem petunt.

**XXV.** Ne de vi et obligatione decretorum hujus Concilii oriatur dubitatio, declaramus ea pro promulgatis habenda esse quando fuerint in lucem edita, ex auctoritate Archiepiscopi Baltimorensis, post eorum a S. Sede revisionem et recognitionem.

Baltimore, festo die Ascensionis, qui fuit 20 Maii 1852.

† Ego FRANCISCUS PATRITIUS, *Archiep. Baltimorensis, Sedis Apostol. Delegatus, definiens subscripti.*

† Ego FRANCISCUS NORBERTUS, *Archiep. Oregonopolitanus, definiens subscripti.*

† Ego PETRUS RICARDUS, *Archiep. S. Ludovici, definiens subscripti.*

† Ego ANTONIUS, *Archiep. Novæ Aureliæ, definiens subscripti.*

† Ego JOANNES, *Archiep. Neo-Eboracensis, definiens subscripti.*

† Ego JOANNES BAPTISTA, *Archiep. Cincinnatensis, definiens subscripti.*

† Ego MICHAEL, *Episc. Mobiliensis, definiens subscripti.*

† Ego MATHIAS, *Episc. Dubuquensis, definiens subscripti.*

† Ego RICARDUS PIUS, *Episc. Nashvillensis, definiens subscripti.*

† Ego JOANNES JOSEPH, *Episc. Natchetensis, definiens subscripti.*

† Ego RICARDUS VINCENTIUS, *Episc. Vehelingensis, definiens subscripti.*

† Ego PETRUS PAULUS, *Episc. Zelamus, Coadjutor Administrator Detroitensis, definiens subscripti.*

† Ego JOANNES MARIA, *Episc. Galvestoniensis, definiens subscripti.*

† Ego MICHAEL, *Episc. Pittsburgensis, definiens subscripti.*

† Ego ANDREAS, *Episc. Petriculæ, definiens subscripti.*

† Ego JOANNES, *Episc. Albanensis, definiens subscripti.*

† Ego IGNATIUS ALOYSIUS, *Episc. Carolopolitanus, definiens subscripti.*

† Ego JOANNES MARTINUS, *Episc. Milwauchienensis, definiens subscripti.*

† Ego JOANNES BERNARDUS, *Episc. Bostoniensis, definiens subscripti.*

† Ego AMEDEUS, *Episc. Clevelandiensis, definiens subscripti.*

† Ego JOANNES, *Episc. Buffalensis, definiens subscripti.*

† Ego MARTINUS JOANNES, *Episc. Ludovicopolitanus, definiens subscripti.*

† Ego JACOBUS OLIVARIUS, *Episc. Chicaginensis, definiens subscripti.*

† Ego AUGUSTINUS M. A., *Episc. Nesqualensis, definiens subscripti.*

† Ego JOSEPHUS SADOC, *Episc. Montisregis, definiens subscripti.*

† Ego BERNARDUS, *Episc. Hartfordensis, definiens subscripti.*

† Ego FRANCISCUS XAVERIUS, *Episc. Savannensis, definiens subscripti.*

† Ego JOANNES, *Episc. Richmondensis, definiens subscrispi.*

† Ego JOANNES, *Vic. Apost. Novi Mexici, Episc. Agathoniensis, definiens subscrispi.*

† Ego JOSEPHUS, *Episc. Sancti Pauli, definiens subscrispi.*

† Ego JOANNES BAPTISTA, *Episc. Messeniensis, Vicarius Apostol. ad orientem Montium Saxorum, definiens subscrispi.*

† Ego JOANNES NEPOMUCENUS, *Episc. Philadelphia, definiens subscrispi.*

PATRITIUS N. LYNCH, S. T. D.

*Vic. Gen. Caropol., Secretarius.*

Ego EDUARDUS L. DAMPHOUX, S. T. D. hujus Plenarii Concilii Notarius, testor hæc Decreta Actaque lecta fuisse, et probata in Sessionibus solemnibus, in ecclesia Metropolitana S. Mariae Baltimoresi, diebus 16, et 20 quæ fuit festum Ascensionis D. N. J. C. Anno Dñi 1852.

E. L. DAMPHOUX, S. T. D. *Notarius.*



## EPISTOLA

PATRUM CONCILII UNA CUM DECRETIS AD SUMMUM PONTIFICEM MISSA.

BEATISSIME PATER,

EX vastæ hujus regionis disjunctis plagis, ad Concilium Plenarium habendum convenientes, ab ipso primo momento ad te, Beatissime Pater, mentis oculos convertimus. Si enim Christum Dominum deliberationibus nostris præesse velimus, quem alium ducem habere possemus, quam illum cui Salvator ipse, ovium simul et agnorum curam commisit, et quem ad fratres confirmandos præ omnibus elegit?

Gratum procul dubio paterno cordi tuo erit, audire quanta in hac parte vineæ, ad nominis sui gloriam promovendam agat Deus. Veram fidem undique annuntiari; oblationem mundam ubique offerri; ubi ante aliquot annos Dei nomen penitus ignotum, ibi nunc illum in spiritu et veritate adorari lætamur. In hac ipsa Metropolitana urbe, in qua, infra memoriā adhuc luce fruentium, sacerdos de longe veniens pusillum gregem raro per annum solabatur, ecclesias nunc plures ac frequentissimas, instituta pia non pauca florescere cernimus. Nec in ista civitate tantummodo, sed ubique laboribus nostris uberrimos fructus concedere dignatus est Deus. Infantula Ecclesia intra unius vitæ spatiū tale incrementum accepit, ut ex ea nedum in diœceses, sed et in provincias divisa, sex Archiepiscopi ac viginti sex Episcopi ad Concilium celebrandum conuenierimus.